HENRICI IORDANI

DE SUASORIIS

AD CAESAREM SENEM DE RE PVBLICA

INSCRIPTIS

COMMENTATIO.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
A. MDCCCLXVIII.

Pages opened for
photocopy
8 January 2003

HENRICI IORDANI

DE SUASORIIS

AD CAESAREM SENEM DE RE PVBLICA

INSCRIPTIS

COMMENTATIO.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
A. MDCCCLXVIII.

Suasoriarum duarum, quae inscribuntur ad Caesarem senem de re publica, scriptorem non esse C. Sallustium Crispum, cuius dicendi genus ementiuntur, inde a Iusto Lipsio et Ludovico Carrione omnes fere grammatici, qui quidem paullo attentius perlegerunt, certatim intellexerunt. ea est enim sermonis indoles, ut Sallustianis vocabulis sententiisque lepide sane ut tesserulae conpostis emblemata inserta sint coloris ab illa aetate diversi; ea consiliorum C. Caesari de re publica datorum ratio, ut data esse non possint nisi ab eo, qui rem publicam ab Augusto restitutam viderit; ea denique dispositio totaque orationis forma, quae rhetorem prodat versatum quidem in lectione Sallusti, eiusdem tamen ab exercitatione scholae recentis: nam unum esse utriusque libri scriptorem interim, dum certiora attulerim, liceat sumere. sed quo maxime tempore et quo consilio haec singularia artis rhetoricae monumenta condita sint, eorum illud cum aliorum scriptorum testimoniis non conpertum sit, de qua re infra dictum est, coniecturis non omni dubitationi exemptum, alterum hoc ne temptatum quidem esse video. itaque quod Ludovicus Carrio in his suasoriis sermonem Taciti aetati fere convenientem agnovisse sibi visus est, quod Gerardus Vossius non infra Flaviorum aetatem eas deprimi voluit de historicis latinis I 15, non infra secundi post Christum natum saeculi terminum Niebuhrius historiae Romanae III 401, denique quod ex Frontoniana secta prodisse coniecerunt et Orellius et Gerlachius, qui ultimus hac de re iudicium tulit in Sallusti sui editione paenultima p. 558 ss., eas opiniones omnes, licet a vero non

ita onge aberrent, nunc missas faciamus; videamus autem primum quid statuendum sit de universa horum librorum compositione rhetorica, deinde quae sit in eis rerum Romanarum scientia, denique quod genus sermonis.

I.

Ac primum omnium constat hos libros codice uno, qui saeculo nono scriptus nunc inter Vaticanos est n. 3864, ad nos propagatos ex eoque quotquot extant praeter eum extiteruntve exempla saeculo quinto decimo transcripta esse*). in eo igitur libro continentur eadem manu scriptae orationes excerptae ex Sallusti Catilina et Iugurtha, orationes ex eiusdem historiis excerptae, deinde *epistulae*, hoc est ex bellis Sallusti tres totidemque ex historiis: quarum ultima Mithridatis epistula finit f. 127v, eique continuantur ei libri, de quibus quaerimus, praescriptis his verbis

AD CAESAREM SENEM :·
DE REPVBLICA INCIP. FELICIT :·

primus liber finit f. 129 v. duorumque versiculorum spatio non conscripto dividitur ab altero, cui neque praescriptum est quicquam neque subscriptum aliud quam EXPLICIT, quod est a manu recentiore. videtur igitur is qui hos libros ad Caesarem cum epistulis Sallusti coniunxit aut sibi ipse persuasisse aut voluisse aliis persuadere esse epistulas, quod tamen secus habere brevi cognoscemus. eosdem vero eum qui scripsit pro genuinis Sallusti libris venditare voluisse praefracte nego: etenim certis argumentis infra demonstrabitur rhetorem adulescentibus haec exempla proposuisse, quibus docerentur Sallusti quasi stilo utentes eiusque personam induentes consilia Caesari danda et orationis forma et epistulae con-

---

*) Video me olim errasse cum musei Rhenani vol. XVIII. p. 586 narravi apographum Vaticanum n. 3415 me primum invenisse. nam ante me de eo testatus est Gerlachius in editione sua prima vol. II. p. 28. eiusdem viri docti nomen tacuisse aegre fero, ubi inculcati in Iugurthae c. 103, 2 vocabuli *feliciter* causam a subscriptione archetypi truncati repetii editionis meae praef. p. IV. nam ille editionis secundae praefatione p. IX. idem recte coniecerat. condonabunt mihi forte, quod excusare nolo, qui experti norint continuo conflictandi cum quaternis Gerlachii Dietschiique exemplis laborem.

prehendere. quodsi quis pro Sallustianis his rhetoris scriptionibus antiquo tempore usus esset, id quod demonstrari non posse videbimus, non magis mirum esset quam quod quidam a scriptore declamationum Sallusti et Ciceronis se decipi passi sunt; itaque etiam omissa ut par est fraudis suspicione facillime explicatur quod, qui secundum librum scripsit, de se ipse suisque rebus ea exposuit quae Sallustio convenire putabat: nam primo libro de ipso scriptore nihil proditum est. narrat igitur libri secundi scriptor Sallustianis verbis adulescentulum sese non solum rem publicam capessere verum etiam cognoscere decrevisse (1, 3), adulta aetate ab armorum excercitio abstinuisse et litteris totum se dedisse (10, 2 s.): quae ut personae parum convenienter scripsit, ita digna se ipso, hoc est rhetore qui fuerit a luce fori et strepitu belli satis alienus.

Inscribendos hos libros Petrus Ciacconius nisi fallor primus intellexit esse priorem orationem epistulam alteram. quodsi accuratius genus eorum definiendum sit suasorias dicemus orationis alteram epistulae forma indutas. in illa enim quod epistulam redoleat nihil invenitur, contra oratoris coram Caesare et in consilio eius disserentis sunt illa (1, 9) *ergo omnes magna mediocri sapientia res huc vocat, quae quisque optuma potest utei dicant. ac mihi sic videtur* e. q. s. et illa (8, 8) *non peius videtur pauca nunc de facto meo disserere*, ut in consilio principis Agrippam et Maecenatem de re publica disserentis facit, de quo mox videbimus, Cassius Dio libro LII. secunda suasoria, licet et ipsa oratonis colores habeat neque vero praescriptum subscriptumque quae solent epistulis, tamen expressis verbis sese et scriptam esse et epistulam testatur illis (2, 2) *de re publica tibi scripsi* et (12, 1) *forsitan imperator perlectis litteris desideres* e. q. s. suasoriam autem ex more scholae scriptam sub specie epistulae et quidem in loco communi versantem prodit prooemium: *scio ego quam difficile atque asperum factu sit consilium dare regi aut imperatori*, in quibus regis et imperatoris vocabula consociata pendent a Sallustianis illis *quodsi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret* (Cat. 2, 3), at formula consilium dandi regi aut imperatori aperte prodit rhetorem, cui haererent totiens declamata talia *consilium datur regi* et *c. d. impe-*

ratori, ut haerebant Iuvenali, qui satura prima v. 15 studiorum iuvenilium memor *et nos* inquit *consilium dedimus Sullae privatus ut altum dormiret.*

Is igitur in schola rhetoris declamaverat illud *deliberat Sulla an dictaturam deponat* et ita quidem declamaverat ut oratione apud Sullam habita suaderet ut deponeret, prorsus eodem modo ut Quintilianus III 8, 46 *cum Ciceroni* inquit *consilium dabimus ut Antonium roget vel etiam ut Philippicas ita vitam pollicente exurat*, hoc est *deliberat Cicero an Antonium deprecetur* et *deliberat Cicero an scripta sua comburat promittente Antonio incolumitatem si fecisset:* nam ita inscribuntur quae extant Annaei Senecae libri primi suasoriae sexta et septima sive potius variarum de his locis suasoriarum capita et sententiae a Seneca disputatae. est igitur artis formula illud *consilium dare* — eademque occurit apud Quintilianum eiusdem capitis § 30 — non minus propria suasoriarum generi quam altera illa quae est *deliberat ille.* iam cum suasoria versari possit aeque in suadendo atque in dissuadendo, sollemnis autem in scholis consuetudo fuerit ingenium exercitare suadendis eisdem dissuadendisque rebus, cuius exercitationis Agrippae et Maecenatis illae orationes Dionianae et ipsae monumenta sunt, nostrarum suasoriarum scriptor suadendi negotium suscepit binis commentariis, fuitque ei propositum ut declamaret illud *Caesar senex deliberat an rem publicam ordinet* sive *Caesari seni consilium datur ut rem publicam ordinet:* licebit enim ordinandi vocabulo uti Caesarum aetate fere solito (v. Horatius carm. II 1, 10 Suetonius Iulii 40 Victor qui falso dicitur vir. ill. 75). inde igitur coartatus utriusque libri titulus *ad Caesarem senem de re publica*, quem ad utrumque librum pertinere res ipsa docet verbaque secundi cui nihil praescriptum est 2, 2 *de re publica tibi scripsi* et 2, 4 *dicam de summa re publica.* tenebat autem qui hanc epistulam composuit etiam illud Ciceronis quod legitur libro de oratore secundo 81, 337 *ad consilium autem de re publica dandum caput est nosse rem publicam*, si quidem prooemio scribit sibi adulescentulo studium fuisse capessendae rei publicae Sallusti sui memor; deinde addit: *atque in ea cognoscenda multam magnamque curam habui: non ita ut magistratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant, sed etiam ut rem publicam domi militiaeque quantumque armis viris opulentia posset cognitum*

habuerim. fuisse autem hanc quoque suasoriam inter sollemnes expressis verbis testatur Quintilianus, qui postquam decantatae de Cicerone Antonium deprecante orationis mentionem iniecit pergit his verbis § 47 *et C. Caesari suadentes regnum affirmabimus stare iam rem publicam nisi uno regente non posse.* et haec quasi pro periocha orationis eius, quam Maecenati Dio tribuit, haberi possunt. iam nostri libelli licet de regno capiendo taceant, suadeant autem ut capessat Caesar rem publicam, restituat eversam libertatem, ita suadent ut verbo magis quam re ab illa suasoria differant, qui quidem, nisi Caesar medeatur, stare rem publicam non posse (1, 6, 4), si Caesar moriatur non ordinata re publica, orbem terrarum concussum iri (2, 13, 6) consentiant. sed de his rebus amplius infra quaeramus. nunc persequamur rhetoricae exercitationis vestigia in his libellis satis conspicua.

Igitur inter varia rhetorum de epistulis scribendis praecepta primum est illud plurimum differre *nobili an seni an magistratui an patri an amico an prospere agenti an tristi* scribamus: nam ita est in rhetoris incerti praeceptis ab Halmio editis p. 589. vides scholam redolere illud *ad Caesarem senem* nec additum esse *senem* a librario indici genuino, nedum scriptum esse possit a non personato Sallustio. convenit autem modestia sermonis in utroque libro ei, qui seni Caesari hoc est post devictum Pompeium consilium dat. praeterea disciplina scholae comparet in sententiarum luminibus crebro sparsis, in praeceptis de moribus severis et paene tristibus publicarum rerum disputationi inmixtis; denique quae C. Victor epistularum scriptori commendat *et proverbio uti non ignoto percommodum est et versiculo aut parte versus* (p. 448 H.), eorum quoque memorem scriptor noster sese praestitit. nam versiculos intextos habes in oratione 1, 2 *sed res docuit id verum esse quod in carminibus Appius ait fabrum esse suae quemque fortunae,* quae verba quod olim in quaestionibus Catonianis Saturnio numero dimensus sum, operam perdidi: nam facile noster Appianam sententiam legerit carminis vinculo solutam et sermonis horriditate liberatam in sylloga sententiarum in ludi usum confectarum. deinde epistulae scriptor (13, 1) cum Caesarem *decus praesidiumque nobis* adloquitur, Horatiani carminis illum versiculum *o et praesidium et dulce decus meum*

in suum usum convertisse ab aliis recte adnotatum invenio, item quod paullo post scripsit (13, 4) *per gentes omnes fama virtutis tuae volitabit* continere memoriam sive Enniani carminis *volito vivus per ora virum* sive Vergiliani Georgicon III 9 *victorque virum volitare per ora.* est autem sane memorabile rhetorem hanc ipsam perorationem praeter poetarum flosculos etiam figura prosopopoeias onerasse, cuius exemplum petiit a Tulliana illa Catilinariae primae (cc. 7 et 11), quam longe celeberrimam fuisse patet e Quintiliani laudibus; sed imitatio nostro pessime cessit. nam cum Cicero patriam faciat cum Catilina deinde cum ipso colloquentem, rhetor formulae quae est *patria et parentes* frequenter a Sallustio usurpatae male memor in hunc modum perorat (13) *quodsi tecum patria atque parentes possent loqui, scilicet haec tibi dicerent. o Caesar, nos te genuimus fortissimi viri* (nimirum quos Sallustius Cat. 12, 5 praedicaverat) *in optima urbe decus praesidiumque nobis, hostibus terrorem: quae multis laboribus et periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus, patriam maxumam in terris* et infra *quodsi tibi bona lubido fuerit patriae parentibusque gratificandi,* quae quam inepte patriae parentibusque Caesaris tribuantur vix opus est ut moneam. ac ne his quidem ornamentis in unum conlatis, quae perorationi ad artis normam excolendae convenire putabat, fuit contentus. nam cum ceteroquin raro supra Sallusti gravitatem sese erigat, hoc loco a se impetrare non potuit quin talia vaticinaretur, futura illa, si dilabi pateretur Caesar Romanum imperium (12, 6), *profecto si id accidat, neque tibi nox neque dies curam animi sedaverit, quin insomniis exercitus furibundus atque amens alienata mente feraris.*

Denique dispositionem rerum, de qua altero capitulo pluribus dicam, hoc loco sufficit verbo tetigisse. quae utraque suasoria gravissimis vitiis laborat — nam et iterantur sententiae alienisque locis inculcantur et prooemia prolixiora atque narrationes inutiles contra ea praecepta peccant, quae Quintilianus certe prudenter hoc genus deliberativis orationibus constituit — prioris suasoriae scriptor tamen disertis verbis lectorem edocere voluit in suadendo et dissuadendo spectanda esse tria illa quae Quintilianus tertio 8, 15 his verbis conprehendit *quid sit de quo deliberetur, qui sint qui deliberent, qui sit qui*

suadeat. itaque permutatis quae primo et secundo ille loco posuit scripsit talia 3, 1 *igitur quoniam tibi victori de pace atque bello agitandum est* (ita enim scribendum esse pro eis quae sunt in Vaticano libro *bello atque pace* olim suasi), *hoc uti civiliter deponas, illa ut quam iustissima et diuturna sit, de te ipso primum, qui ea compositurus es, quid optimum factu sit considera.* suadet deinde ne pro clementi et benigno victore crudelem sese ad exemplum Sullae aliorumque gereret. in quibus patet turbatum esse sententiarum nexum, neque vero turbatum esse neglegentia librarii verum scriptoris oscitantia, qui duas res cogitando miscuerit, primum quae decerent eum qui deliberaret, deinde quid potissimum eorum quae decerent eligendum esset. neque magis verba quae sunt *qui ea compositurus es* coniectura temptanda sunt, nam similiter idem 1, 10 *victoriam componere* et 7, 1 *componere terras et maria* dixit iterato de more, ut infra videbimus, vocabulo. deinde scriptor qui omnem disputationem bipertitam esse voluit, ita ut primum de bello deponendo, deinde de firmanda pace dixerit, partem secundam his verbis auspicatus est 5, 1 *de bello satis dictum. de pace firmanda quoniam tuque et omnes tui agitatis, primum id quaeso considera quale sit de quo consultas.* hoc quoque loco absoluto *non peius* inquit 8, 8 *videtur pauca nunc de facto meo disserere.* pari modo rem egit scriptor in epistula bifariam dividenda. sed haec pluribus infra persequar. satis haec sint quibus indoles harum suasoriarum rhetorica inlustretur. quibus si nihil decisum est de ea re, utrum unius sint scriptoris necne, tamen ex unius disciplina prodisse eas iam nunc videmur nobis docuisse.

Sed quo tempore scriptae sint suasoriae nostrae testimoniis certis evinci nequit. quod cum nobis persuasum sit, in hunc potissimum locum reiecimus omnem de testimoniis disputationem: versabitur autem fere in refellendis aliorum opinionibus. sed primum omnium commemorare iuvat, quod praetermissum esse video, de epistulae scriptae aetate silentio ipso Quintiliani non videri constare. qui cum scholarum exercitationes dedita opera, ac maxime quidem suasorias scribendi, inlustraverit, verbum de epistula componenda iniecit nullum, cum tamen in artibus rhetoricis, quae omnes aetatis sunt

recentioris, suus quasi honor huic generi suaque praecepta adtributa sint. itaque suo iure Bernhardyus Hist. litt. Rom. p. 745 sumpsisse videtur epistulas scribendi consuetudinem post Quintiliani demum tempora in sollemnem scholarum usum receptum esse. at hoc argumento solo si quis nostram epistulam recentiorem esse Quintiliani aetate statuerit, facile falsus sit. nam prius quam in consuetudinem abierit fingere epistulas cur non certis de causis aliquando fieri potuerit, nequaquam intellegitur. quare nisi alia accesserint parum argutum dixeris hoc silentium. neque multo disertiora videbis esse quae volgo putantur testimonia et eorum scriptorum, qui his suasoriis usi sint, et eorum, quorum verba his ipsis insertae inveniantur. ac de illis quidem satis leviter transactum esse video. itaque primum erravit Scipio Gentilis qui Apuleium exordium Apologiae tam vili scriptori debere putabat: scilicet verba eius quae sunt in principio *certus equidem eram proque vero obtinebam* e. q. s. pendere ab illis primae suasoriae *pro vero antea optinebat regna atque imperia fortunam dono dare;* quasi vero aut eadem uterque locutione usus sit aut, si illud *pro vero* alter ab altero mutuatus esset, non potius ab Apuleio rhetor putandus esset transtulisse, quode dubitari posse infra dicetur. erravit etiam Rogerius Willmanns ea dissertatione quam de fontibus et auctoritate Cassii Dionis Berolini anno MDCCCXXXV edidit, cum p. 39 scripsit Maecenatis ad Augustum contionem Cassianam libro LII inclusam ex personati Sallustii epistulis ad Caesarem de re publica ordinanda magna quidem ex parte petitam, solis ille eis verbis inductus quae apud Dionem extant c. 33, 4. ibi Maecenas de iudiciis loquitur admonetque Augustum ut maxime *θανατώσεως ἢ καὶ ἀτιμίας* crimina ipse iudicet, quos autem in consilium adhibeat senatores equites consulares praetorios per tabellam iudicare faciat. *τὰς μέντοι γνώμας αὐτῶν μὴ φανερῶς, ὅσαι γε καὶ ἐπισκέψεως ἀκριβεστέρας δέονται, διαπυνθάνου, ἵνα μὴ τοῖς προήκουσί σφων ἐφεπόμενοι κατοκνῶσι παρρησιάζεσθαι, ἀλλ' ἐς γραμματεῖα γραφομένας οἷς αὐτὸς μόνος ἐντυχών, ὑπὲρ τοῦ μηδενὶ ἄλλῳ ἐκδήλους αὐτοὺς γίγνεσθαι, εὐθέως αὐτὰς ἀπαλείφεσθαι κέλευε.* epistulae scriptor 11, 5 *igitur duabus* inquit *rebus confirmari posse senatum puto, si numero auctus per tabellam sententiam feret. tabella obtentui erit, quo magis animo*

libero facere audeat, in multitudine et praesidii plus et usus amplior est. patet iudiciorum usum his verbis nullo modo tangi, immo ipsa iudicia publica *de capite et de honore* penes populum fuisse ea tempestate rhetor recte exposuit 7, 10 ss. praeterea neque in Maecenatis oratione neque in ea quae praecedit Agrippae inveniuntur quae cum his suasoriis concinant. nam in huius peroratione quae c. 13 extant ἂν μὲν γὰρ ἤδη τε καὶ ἑκὼν αὐτὸ ποιήσῃς ἐνδοξότατός τε ἅμα ἀνθρώπων ἔσῃ καὶ ἀσφαλέστατος epistulae illis 13, 6 *posteroque tempore super omnis mortalis gloria agitabis tuaque unius mors vita clarior erit* vix quisquam tam similia esse dixerit ut alterum alterius vestigia pressisse oporteat. immo ea maxime re Dionianae suasoriae a nostris mirum quantum abhorrent, quod in iure publico, quod sub Augusti imperio vel postea optinuit, accurate enarrando versentur, at in his cum Iuliae leges vix obiter tangantur, rei publicae ab Augusto administratae subitaria ac confusa imago ex consiliis Caesari datis emergat. at similitudinem intercedere inter has suasorias illasque orationes, quae Sallusti in Ciceronem et Ciceronis in Sallustium controversiae inscribuntur, diu est cum rectissime observavit Petrus Ciacconius. nam ad epistulae verba 9, 2 *an L. Domiti magna vis est, quoius nullum membrum a flagitio aut facinore vacat. lingua vana, manus cruentae, pedes fugaces, quae honeste nominari nequeunt inhonestissima,* adscripsit haec omnia sua fecisse Sallustium personatum in Ciceronem 3, 6. ita enim ridicule ibi eius mores percenset: *immo vero homo levissimus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum modo illarum partium, fidus nemini, levissimus senator, mercennarius patronus, cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat, lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces, quae honeste nominari non possunt inhonestissima.* ac sane haec omnia magis conveniunt ei, qui modo singillatim de flagitiis illis dixerat, quam nostro, qui nihil aliud in Domitio reprehenderat praeter crudelitatem, ut infra ostendam. sed praeterea confer sis etiam ea quae de Cicerone in principio controversiae dicta sunt § 4, *quasi unus reliquus ex familia viri clarissimi Scipionis Africani ac non reperticius ascitus ac paulo ante insitus huic urbi* cum eis quae sunt in epistula ad Caesarem 11, 3. ubi

in senatu praegravari scriptor conqueritur eos, qui maiorum virtute gloriam dignitatem clientelas adepti sint, cum *cetera* inquit *multitudo pleraque insiticia sit.* res igitur redit ad Ciceronis querellas Antonianarum orationum III 6, 15 *videte quam despiciamur omnes qui sumus e municipiis, id est omnes paene. quotus enim quisque non est?* verba autem insolentiora illa quae sunt *insitus* et *insiticius* utrobique memoriam excitant Catilinae dicti, qui inquilinum urbis civem vocaverat Tullium. iam Sallusti et Ciceronis controversias scriptas esse ante Charisium satis constat, ante Quintilianum scriptas esse constare nunc credi desitum est, postquam memoriam earum ab interpolatore institutionibus eius insertam esse omnes consentiunt. at ne hac quidem re quicquam iuvamur, cum praesertim praeter ea, quae supra attuli, prorsus diversa sit illarum controversiarum ratio. nam cum harum scriptor totus insinuaverit in sermonis Sallustiani proprietatem eamque ut imitetur maxime adnitatur, ille vix paucula quaedam eius vocabula sua fecit, unice intentus uti Sallustium et Tullium quam posset acerbissime conviciantes inter se faceret. itaque adsentientem me habuerit siquis ne illa quidem quae supra attuli nostrum ex controversiis illis descripsisse dixerit. nam praeter sententias, quae spectant ad philosophiam moralem, quanto plausu facete vel acerbe de ingenio hominum dicta in scholis excepta sint non est quod adlatis ex Seneca rhetore exemplis comprobem, facile ut mihi persuaserim illa *cuius nulla pars corporis* e. q. s. ab incerto rhetore de homine nobis ignoto dicta tanto esse plausu excepta ut iam iterum iterumque ab alio de Cicerone ab alio de Domitio pronuntiata sint. sed fortasse nostri memor fuit, qui multus est in Sallusti verbis detorquendis, S. Aurelius Victor. nam cum in oratione rhetoris 5, 5 haec legantur *ergo animus ferox prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo modo in civis, movet composita et res novas pro veteribus concupit* — ita enim extrema scribenda esse infra docebo — in exemplo quod unum superest ms. Caesarum 5, 9 corrupta extant haec de Nerone *atque inter haec matrem etiam contaminavisse plures habent, dum ea quoque dominandi ardore scelere quolibet subici filium cupit. id ego quamquam scriptoribus diversa firmantibus verum puto. namque ubi mentem*

invaserint vitia nequaquam verecundiae externis societate humanius datur peccandi consuetudo nova et eo dulciora affectans ad extremum in suos agens, quibus etiamsi certissimum sit contineri perditum hominem, ut fecerat Nero, paullatim vitiis suis ab externis ad suos progredi, ut de Tiberio idem Victor 3, 2 *atrocius puniens insontes suos pariter externosque*, tamen dubito num verba in hunc fere modum restitui possint: *namque ubi mentem invaserint vitia nequaquam verecundi, externi satietate immanius datur peccandi consuetudo nova* e. q. s. in quibus *immanius* Io. Olivarius invenit, *verecundiae externae satietate* Gruterus, ceteri quae temptarunt hic non curo. sed scio exiguam intercedere similitudinem inter utramque sententiam neque eam, qua evincatur alterum ab altero accepisse. atque ut acceperit Victor: ea est suasoriarum indoles ut testimonio non opus sit, quo eas longe Victoris aetatem superare doceamur.

Sequitur ut videamus si quorum scriptorum praeter Sallustium sententias noster usurpaverit: rerum enim copiam quibus debeat videbimus altero capite. sed in sententiis quas morales dicere consuevimus sciteque dictis cavendum est ne, siquas praeter nostrum apud Ciceronem aliosve extare viderimus, ab hisce eum transtulisse cupidius statuamus. neque enim ignorant harum rerum periti quasi per manus tradi solere docta dicta, ut veterum verbis utar, a primisque temporibus propagata esse syllogis illis, quibus ipsa auctorum nomina crebro et detracta et mutata esse Catonis Senecae aliorum subditiciae sententiae pridem docuerunt. quare quod primae suasoriae scriptor 6, 2 dixit *postremo sapientes pacis causa bellum gerunt* non potest sciri a quonam traxerit, cum Aristoteles Cicero Nepos alii suis libris inseruerint, nec cum secundae suasoriae scriptor 13, 7 vivos invidia fatigari, mortuorum virtutem obtrectatoribus obnoxiam non esse dixit, utrum Quintilianum institutionum tertio 2, 21 an alios secutus sit: immo talia in ludis totiens decantabantur, ut quis sapientium primus elocutus esset discipulis vix constaret. at insunt sane quae totidem verbis conprehensa apud Latinos scriptores inveniantur: quos potuit sequi quicumque suasorias conposuit. veluti primae suasoriae scriptor 1, 6 haec habet, quae frustra apud Sallustium quaesiveris, *nam pessumus quisque asperume*

rectorem patitur. conparavit Cortius Senecae de ira tertium, ubi haec extant 36, 4: *admoneri bonus gaudet: pessimus quisque rectorem* (ita liber Mediolanensis s. IX., *correctorem* ceteri) *asperrime patitur.* deinde in eadem oratione 8, 1 leguntur *nam domum aut villam extruere, eam signis aulaeis alieisque rebus operibus exornare et omnia potius quam semet visendum efficere, id est non divitias decori habere sed ipsum illis flagitio esse.* comparavit idem Cortius Apulei de deo Socratis p. 54, 20 editionis Elmenhorsti verba haec *villas aemulas urbium* e. q. s. (neque enim huc pertinent) *omnia ornata praeter ipsum.* sed ne his quidem demonstrari putaverim Senecae et Apulei libros rhetori in manibus fuisse; immo haec quoque dicta, quamvis conceptis ut ita dicam verbis circumscripta sint, possunt per ludorum exercitationes, quibus talia iam pueris chriarum in usum declinanda proponebantur, veluti illud *litterarum radices amaras esse, fructus iucundiores* aliaque multa, auribus mentibusque doctorum hominum ita inhaesisse, ut scribentium sermoni sponte inmiscerentur. redit igitur res eo, ut quaeramus quibus et historiarum fontibus hae suasoriae sint inrigatae et quibus praeter Sallustium sermonis coloribus temperatae.

II.

Quo maxime tempore oratio ad senem Caesarem habita fingatur non satis constat: nam praeter confectum quod cum Pompeio gesserit bellum commemorantur qui ante susceptum bellum mortui sunt Cn. Papirius Carbo Cn. Domitius Ahenobarbus M. Iunius Brutus, qui ultimus eorum cecidit anno DCLXXVII. in epistula nominantur ut inter vivos agentes M. Bibulus, qui mortuus est anno DCCV. (9, 1. v. Drumannus II 104.) L. Domitius Ahenobarbus, qui anno DCCVI et M. Cato, qui anno DCCVIII (9, 2. 3), denique M. Favonius, qui anno DCCXII (9, 4. cf. Drumannus III 32 ss.). significatur autem L. Lentulus a. DCCV cos. 2, 4 *namque tibi si id modo in pectore consilii est ut te ab inimicorum impetu vindices quoque modo contra adversum consulem beneficia populi retineas, indigna virtute tua cogitas*: quae beneficia provinciam esse capite tertio dicam. at in eadem epistula 3, 1 haud obscure indicatur debellatum esse Cn. Pompeium his verbis

sed quoniam Cn. Pompeius aut animi pravitate aut quia nihil eo maluit, quod tibi obesset, ita lapsus est ut hostibus tela in manus iaceret, quibus ille rebus rem publicam conturbavit eisdem tibi restituendum est. quodsi reputamus consilia de constituenda re publica talia, qualia mox cognoscemus, vix potuisse fingi data ante quam anno DCCVIII dictaturam in annos X accepit (cf. Mommsenus C. I. L. I p. 452), quo anno latae sunt leges Iuliae, rhetorem tempora parum curasse dicemus eundemque voluisse scriptam esse epistulam anno DCCVIII, ante quam Caesar ad Hispaniense bellum profectus est. id quod iam Ciacconius recte adnotavit in editione Gruteri p 615. quo tempore Sallustius, quem hae suasoriae ementiuntur, factus est praetor. praeterea, ut par est, et in oratione 2, 2 et in epistula 6, 6. 12, 1 imperatoris nomine Caesar appellatur, quo eum iam ante dictatoris titulum receptum appellari solitum esse constat (cf. Mommsenus Hist. Rom. III 364 et l. s. s.). iam vero singillatim examinemus quaenam consilia et orationis scriptor Caesari dederit et epistulae quibusque fontibus nitantur.

Orationem bifariam divisam esse supra dixi. itaque post prooemium (c. 1) et narrationem (c. 2) primum agitur de bello deponendo (3. 4.) deinde de firmanda pace (5—8, 6). denique scriptor suam ipse in dandis consiliis libertatem paucis excusat (8, 7—10). prooemio scriptor Caesarem ipsius fortunae quasi fabrum celebrat, at eundem adhortatur ut, quoniam bello sese placidum praebuerit, parta bonis artibus firmet. narratio versatur in exagitandis Pompeianis partibus eisque hominibus reprehendendis, qui a Caesare rerum novarum spe frustrati ad Pompeium discesserint. quos Sallusti memor aeris alieni necessitate coactos dicit, ut ille Catilinae socios. neque in his accuratioris eruditionis vestigia deprehenderis. deinde, ubi de bello agit, unice intentus est ut de clementia Caesarem admoneat crudelitatis eorum, qui antea vicerint, exemplis usus hisce 4, 1 *an illa, quae paulo ante hoc bellum* (Pompeianum dicit ut supra 2, 2) *in Cn. Pompeium victoriamque Sullanam increpabantur, oblivio interfecit, Domitium Carbonem Brutum alios item non armatos neque in proelio belli iure, sed postea supplices per summum scelus interfectos, plebem Romanam in villa publica pecoris modo conscissam?* haec inuria viris doctis displicuerunt. e qui-

bus I. F. Gronovius delebat illa *victoriamque Sullanam*, Cortius scriptorem errasse sibi persuasit, quippe dicendum fuisse *in C. Marium victoriamque Sullanam*, mire falsus uterque: nam recte ad Sullanam victoriam refertur trucidata in villa publica plebs Romana sive, ut dici debebat, dediticiorum aliquot milia, quam rem volgo notam (v. Drumannus II 467) inter ipsa crudelitatis exempla Valerius Maximus primum esse voluit IX 2, 1; ad Pompeianam Cn. Papirii Carbonis Cn. Domiti Ahenobarbi M. Iuni Bruti caedem, quam idem Valerius VI, 2, 8 obicientem Pompeio facit Helvium Manciam Formianum his verbis *sed dum illic moror vidi cruentum Cn. Domitium Ahenobarbum deflentem quod .... tuo iussu esset occisus, vidi pari claritate conspicuum Brutum ferro laceratum, querentem id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. vidi Cn. Carbonem ... catenis, quas tu ei inici iusseras, vinctum ... a te equite Romano trucidatum.* his tribus exemplis rhetor noster fuit contentus, cum posset quartum crudelitatis testem excitare, quem apud eundem Maximum Helvius addidit, Perpennam. non dico nostrum ex ipso opere Valeriano sua transcripsisse, versari tamen eum in tritis scholae exercitatione locis apparet. cetera quae de amicis Caesaris addidit unde petita sint non inveni. flagitia certe *in belli administratione* commissa ab eis, *quorum aetas ne per otium quidem talis voluptatis sine dedecore attingerit* (4, 4), non minus mihi ficta videntur quam trucidationes a Catone et Domitio factae, quos epistulae scriptorem excogitasse videbimus.

Prolixior quidem altera orationis pars est, quae continetur consiliis de re publica constituenda, neque vero minus priore exilis. quid quod interdum per Sallustiani generis dicendi imitationem praeceps fertur sanaque mente deicitur? nam in ipso principio 5, 1 vide mihi quid illa sibi velint *de pace firmanda quoniam tuque et omnis tui agitatis, primum id quaeso considera de quo consultas: ita bonis malisque dimotis patenti via ad verum perges.* in quibus praeter praeceptum de definitione hoc loco importune inculcatum Sallustianum illud *boni malique* ridicule usurpatum est. quodsi paucis conprehenderis consilia Caesari data detractis quae ex Sallustio translatae sunt de corruptis moribus declamationibus, invenies his contineri. res publica ita constituatur ut ne vetera instituta *quae iam*

pridem corruptis moribus ludibrio sunt (5, 4) revocentur. ac primum quidem *tollendus est fenerator in posterum* (5, 7) suaque cuique res familiaris ut sumptuum modus fiat efficiendum. quod consilium, ut est paene puerilis sapientiae ita detortum est ex obscura legis Iuliae eius memoria, qua de modo credendi possidendique intra Italiam cautum est anno DCCV, de qua praeter ipsum Caesarem belli civilis III 1 Tacitus Suetonius Dio rettulerunt, alteriusque sumptuariae latae anno DCCVIII. sequitur alterum praeceptum his verbis conclusum (7, 2) *igitur provideas oportet uti plebs largitionibus et publico frumento corrupta habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur: iuventus probitati et industriae, non sumptibus atque divitiis studeat. id ita eveniet, si pecuniae, quae maxima omnium pernicies est, usum atque decus dempseris.* haec si ab inepta sententia quae est extrema recesseris, possunt referri at frumentariam P. Clodi legem sublatam inminutumque eorum, qui frumentum e publico acciperent, numerum (v. Drumannus II 238 III 618): at ipsis verbis quae sunt *uti plebs largitionibus et publico frumento corrupta habeat negotia sua* non solum similia sunt epistulae 5, 8 illa *plebs bonis negotiis impedita malum publicum facere desinet,* verum, id quod gravius est, Suetoni de d. Augusto c. 40 simillima haec *populi recensum vicatim egit, ac ne plebs frumentationum causa frequentius ab negotiis avocaretur, ter in annum quaternum mensum tesseras dare destinavit.* neque hoc uno exemplo docemur Augusti rerum gestarum memoriam praebuisse: immo alia eaque luculentiora continentur praeceptis eis quibus altera pars concluditur (8, 4 ss.) *ad hoc providendum est tibi quonam modo Italia atque provinciae tutiores sint; id quod factu haud obscurum est. nam idem omnia vastant suas deserendo domos et per iniuriam alienas occupando; item ne, uti adhuc, militia iniusta aut inaequalis sit, cum alii triginta pars nullum stipendium facient. et frumentum id, quod antea praemium ignaviae fuit, per municipia et colonias illis dare conveniet, qui stipendiis emeritis domos reverterint.* quorum praeceptorum primum utrum ad poenas facinorum auctas teste Suetonio d. Iuli 42 pertineat, an potius ad vastatas a piratis regiones maritimas aut ad expulsos a veteranis civilibus bellis possessores, rem poetarum querellis celebrem, dicere non possum. Italia atque provin-

ciae non inperite coniunguntur: nam et Sallustius oratione Cottae §. 7 *Italiae maritima et provinciarum* dixit et Caesar Italiam provinciis opposuit belli civilis III 57 et alii multi. alterum praeceptum tertiumque quae spectant ad res veteranorum, Caesaris Augusti suppeditavit historia. ne hoc quidem attendisse videntur qui his testimoniis vel pro Sallustianis usi sunt, veluti Langius Historiae mutationum rei militaris p. 6 et 28, vel qui omnino uti noluerunt. itaque quoniam Augusti aetate milites *ἔξω τοῦ τεταγμένου τῆς στρατείας σφίσι χρόνου* mereri gravarentur ob eamque causam praemia eis, qui ultra vicenorum stipendiorum modum legitimum mereri vellent, proposita essent (v. Dio LV 23 et Augusti rerum gestarum index 3, 35 ss.), inde rhetor videtur militiae inaequalitatem finxisse, cum praesertim quae de frumento distributo sequantur item ex parte ex Augusti rebus gestis explicanda sint. is enim indice rerum gestarum 3, 28 ss. haec testatur (annis quinque) *[vetera]nos emeriteis stipendis in sua municip[ia remis]i*, *praem[ia aere n]umerato persolvi* e. q. s. quae cum noster accepisset pervertit, substituto pro pecunia frumento, quod antea eis distributum esse finxit qui legitima stipendia non explevissent. ceterum idem veteranos dicit 4, 3, ubi malivolorum consilia exagitans velle eos exclamat *exercitus stipendiis confectis optimos et veterrimos omnium adversus fratres parentisque armis contendere.* nemo igitur dubitabit opinor quin rhetor, cum illa scriberet, sive ipsius Augusti commentarium manibus triverit sive per scholae exercitationem res ibi proditas cognoverit.

Longe aliter rem egit scriptor epistulae, licet et dispositio et sententiae conplures orationi sint simillimae. itaque initium faciunt ut in oratione prooemium (1. 2) et narratio (3. 4), sequitur consiliorum explanatio item uti in oratione bipertita, ut primum *de plebe renovanda conrigendaque* (5-9) deinde *de senatu* egerit (10. 11): hasque partes commentarrii his ipsis verbis lectori indicavit 10, 1. claudit epistulam peroratio (12. 13) tumida illa omniumque artis rhetoricae instrumentorum quasi concursu ridicula, de qua pluribus supra dictum est. at doctrina longe praecedit orationi epistula. iam de singulis videamus. prooemio igitur de se ipse verba fecit deque magnitudine Caesaris. narrat deinde Cn. Pompeium

senatui tradidisse vectigalia sumptus iudicia, quod ita volt intellegi, ut cum iudicia sane penes senatorium et equestrem ordines sint, uti antea factione senatus tamen dominetur. quae sunt neque admodum inepta neque nimis docta: nam praeivit Sallustius Iug. 44, 7 dicendo penes paucos aerarium provincias magistratus gloriam triumphosque esse. et similia de paucorum potentium imperio legis Catil. 20, 7 historiarum primo fr. 9. 10 D. deinde Pompeianae factionis facinora exagitantur his maxime verbis 4, 1 s. *L. Sullae, cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi supplicio hostium partis suas muniri intellegebat, tamen paucis interfectis ceteros beneficio quam metu retinere maluit. at hercule a M. Catone L. Domitio ceterisque eiusdem factionis quadraginta senatores, multi praeterea cum spe bona adulescentes sicutei hostiae mactati sunt* e. q. s. in quibus illa *at hercule a M. Catone L. Domitio* certae Mommseni emendationi debentur: in libro Vaticano legitur *at herculem catonem l. domitio.* non praetereundum est epistulae et orationis narrationibus Sullae mentionem fieri, atque in illa quidem tamquam Pompeio crudelitate paris, in hac tanquam longe clementioris. at quas additas legis caedes a M. Catone et L. Domitio perpetratas quis fando audivit? Domitium quidem truci ingenio fuisse caedemque adversariorum concupisse constat Suetoni et Ciceronis testimoniis (v. Drumannus III 23 s.): at Catonis *illas usque ad ultimum diem puras a civili sanguine manus* — ita enim Haterius vere praedicat in suasoriis Senecae II 6, 2 — qui potuit rhetor sanguine senatorio respergere? Aldum quoque haec offenderunt: sed frustra fuit cum scribendum putaret *at hercule nunc cum Catone L. Domitio*, nam inepte, qui Pompeianorum crudelitatem castigare sibi proposuit, horum ipsorum mortem persequeretur. quid multa? debentur haec rhetori, qui exaggerandi studio abreptus eodem, quo orationis scriptorem flagitia inmania finxisse supra vidimus, Catonem hoc loco non minus inepte laceravit quam paulo infra (9, 3) laudavit verbis talibus *unius tamen M. Catonis ingenium versutum loquax callidum haud contemno. parantur haec disciplina Graecorum. sed virtus vigilantia labor apud Graecos nulla sunt. quippe qui domi libertatem suam per inertiam amiserint censesne eorum praeceptis imperium haberi posse?* quibus verbis quam inepta contineatur magistelli contra

Graecos declamatio, quam futilis Catonis laudatio, pluribus persequi taedet. in ceterorum hominum, qui his temporibus, eorumque, qui antea factionum duces extiterint, ingeniis moribusque diiudicandis non inperitum sese rhetor praestitit. ita M. Bibulus non inepte hebes lingua magisque malus quam callidus ingenio dicitur eiusque vis in consulatum erupisse (9, 1): certe qui paucis eius ingenium adumbravit Velleius II 44 similia dixit. de M. Favonio et L. Postumio quae idem protulit 9, 4 videtur e fontibus, qui a nobis iam non adiri possunt, hausisse. quos viros dicit videri sibi *quasi magnae navis supervacuanea onera esse: ubi salvi pervenere, usui sunt, siquid adversi coortum est, de illeis potissimum iactura fit, quia pretii minimi sunt.* atqui M. Favoni exigua memoria ad nos pervenit (Drumannus III 33), L. Postumius quis sit admodum dubium est. potest cogitari de Postumio eo, qui anno DCCV, nisi Cato in provinciam Siciliam proficisceretur, negabat se eodem iturum esse, cum praesertim Cicero eadem, qua haec narravit, epistula ad Atticum VII 15, 2 etiam Favoni meminerit. sed a sola hac epistula noster horum virorum memoriam vix acceperit, quos potissimum praeter Bibulum Domitium Catonem inter Pompeianos recensuerit. commemorat praeterea C. Gracchum et M. Drusum. et Gracchi quidem legis de suffragiis in comitiis exquirendis latae *ut ex confusis quinque classibus sorte centuriae vocarentur* et solus testis et locupletissimus extitit 8, 1. qua de re qui scripserunt (v. Marquardtii enchiridion II 3, 27. 37 Langius antiquitatum Romanarum II 434 Mommsenus historiae Romanae II 107 s.) consentiunt omnes. M. Drusum laudibus extulit 6, 3 ss. pro nobilitate naviter eum contendisse dicens, eundem vero quasi solus rerum potiri voluisset, malivolorum hominum invidiam excitasse. in qua re dissentientes quidem habet Valerium Maximum, Florum, eum qui virorum inlustrium vitas composuit, at convenit ei cum Velleio II 13. quae omnia hominis sunt in rerum Romanarum cognitione haud mediocriter versati. sed redeamus ad consilia ab eo Caesari data.

Itaque primum quae de imperio paullatim a senatu ad plebem sive populum — haec enim vocabula in promiscuo habet — translato exposuit (5, 1-6) ea futilia sunt universaque sumpta a Sallusti locutionibus, quibus ille maxime

pro oemio Catilinae usus est. possunt etiam historiarum libri adhibiti esse, si quidem orationis Lepidi § 11 et 24 verba deprehendisse nobis videmur § 5, (v. quae infra p. 24 diximus). quoniam igitur plebs ad capessendam rem publicam parum idonea sit, primum rhetori visum est talia suadere 5, 7 *ceterum additis novis civibus magna me spes tenet fore ut omnes expergiscantur ad libertatem. quippe cum illis libertatis retinendae tum his servitutis amittendae cura orietur. hos ego censeo permixtos cum veteribus novos in coloniis constituas: ita et res militaris opulentior erit et plebs bonis negotiis impedita malum publicum facere desinet.* quod aegre laturos dicit homines nobiles quippe dicturos *antiquis civibus hanc servitutem imponi, regnum denique ex libera civitate futuram, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit* (6, 1): sic male evenisse M. Drusi quoque conatum, de quo quae senserit scriptor supra rettuli. haec autem an idoneis testimoniis munita rhetor suaserit valde dubito. nam quod a Suetonio d. Iuli 42 docemur octoginta milia civium Romanorum in transmarinas colonias a Caesare distributos esse et quod missos Corinthum ἐποίκους τοῦ ἀπελευθερικοῦ γένους πλείστους a Strabone VIII 5, 23 p. 381 (cf. Drum. III 672 ss. Marquardt enchiridii III 2, 334) cum verbis supra scriptis vix conciliantur. immo hoc quoque loco putaverim nostro obversatos esse adscriptos in coloniis ad veteres possessores Augusti iussu veteranos, de quibus v. Mommsenus in eiusdem rerum gestarum indicem commentario p. 41. secuntur declamationes quales fere in oratione cognovimus de studio pecuniae minuendo, quibus viam ille sibi muniit ad alterum et tertium praecepta firmanda, nimirum tollendam esse et in iudicibus legendis et in creandis magistratibus divitiarum auctoritatem. quorum consiliorum summa — nam cetera in solis sermonis Sallustiani flosculis recoquendis versantur — hisce verbis continetur 7, 10 ss. *ergo in primis auctoritatem pecuniae demito. neque de capite neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus iudicaverit, sicut neque praetor neque consul ex opulentia verum ex dignitate creetur. sed de magistratu facile populi iudicium fit: iudices a paucis probari regnum est, ex pecunia legi inhonestum. quare omnes primae classis iudicare placet, sed numero plures quam iudicant. neque Rhodios neque alias civitates unquam iu-*

diciorum suorum paenituit, ubi promiscue dives et pauper, ut cuique fors tulit, de maximis rebus iuxta ac de minimis disceptat. sequitur placere sibi legem tribuniciam C. Gracchi de suffragiis, cuius unicum testem esse nostrum supra commemoravi. ac primum quidem de Rhodiorum re publica quae proferuntur possunt e Ciceronis de re publica tertio fluxisse, ubi 35, 48 de illis haec dicit Scipio *recte dicis. sed, si meministi, omnes erant idem tum de plebe tum senatores vicissitudinesque habebant, quibus mensibus populari munere fungerentur, quibus senatorio: utrobique autem conventicium accipiebant et in theatro et in curia; res capitalis et reliquas omnis iudicabant idem: tantum poterat tantique erat quanti multitudo [senatus].* mansisse autem Rhodiis libertatem etiam imperatorum aevo, etsi noster fortasse non curavit, testis est praeter eos quos ibi Maius produxit Seneca de beneficiis 5, 11. comparata igitur re publica Rhodiorum suadetur Caesari ut omnes prima classe censos iudices iudiciorum publicorum fieri placeret pluresque quam usque eo factum esset iudices legerentur. respiciuntur sine dubio leges Iuli Caesaris sive Caesaris Augusti de vi et de maiestate, de quibus v. Drumannus III 623. sed quae de prima classe dicta sunt vix intellegi possunt. nam Caesaris iussu cum iudicia inter equestrem senatoriumque ordinem divisa essent sublatis, qui tertii accesserunt, tribunis aerariis, Augustum constat quattuor iudicum decurias instituisse, quarum quarta a censu ducentum HS milium ducenarii vocitaretur (cf. Zumptius de legibus iudiciisque repetundarum III p. 1 ss.). hanc igitur mutationem et Plinio displicuisse puto cum naturalis historiae XIV § 5 (conl. Marquardti enchir. II 3, 220) conquereretur pessum isse vitae pretia *postquam senator censu legi coeptus, iudex fieri censu*, et nostro obversatum esse cum aequi inter locupletes tenuisque census homines iuris adsertor Caesari suaderet ut prima classe censi omnes iudicarent. claudunt partem priorem querellae de Bibulo ceterisque de quibus supra rettuli. sequitur pars altera, quae est de senatu, in qua postquam ad suas res Sallusti verbis exornandis iterum ineptissime relapsus est, tandem 10, 6 consiliorum dandorum memoria redit.

At meliora non sunt quae iam imperatori de senatu pandit quam illa de iure populi, quem ad capessendam

rem publicam, quia *nullo modo inter se congruens* sit, parum valere visum esse audivimus. iam de senatu similiter haec scripta sunt *igitur ubi plebs senatui sicuti corpus animo oboedit eiusque consulta exequitur, patres consilio valere decet, populo supervacuanea est calliditas.* deinde rursus de via devertit ad solitas querellas, e quibus aegre emergit 11, 3: nimirum nobilium gratiam praegravari, ceteram multitudinem esse insiticiam neque quicquam audere, immo servitium tacite tolerare. *igitur duabus rebus* — ita enim concludit § 5 — *confirmari posse senatum puto, si numero auctus per tabellam sententiam feret. tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat, in multitudine et praesidii plus et usus amplior est. nam fere his tempestatibus alii iudiciis publicis alii privatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sane rei publicae consiliis adfuerunt, neque eos magis occupatio quam superba imperia distinuerunt. homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent, quaecumque libuit probare reprehendere decernere, ea uti lubido tulit fecere. verum ubi numero senatorum aucto per tabellam sententiae dicentur, ne illi superbiam suam dimittent, ubi iis oboediendum erit, quibus antea crudelissime imperitabant.* addit deinde sibi visum esse de summa consilii laborare, nolle sese exponere *quem numerum senatorum fieri placeat, quoque modo is in multa et varia officia distribuatur* neque iudicum *quae discriptio, quei numerus in quoque genere futurus sit* (12, 1). in senatu igitur nobilitatem nimium quantum praegravari, multitudinem insiticiam, de qua supra dictum est, opprimi dicit. quare primum censet senatum numero augendum esse, id quod factum esse a Caesare constat (Drumann. III 568. 620. 668). deinde suadet uti sententiae non uti antea rogatae dicantur, sed tabellis scriptae conligantur, quo facto multitudinem recens ascitam timore remoto ita sententias suas laturam esse, ut superbia nobilitatis coerceatur. neque vero idem dixit utrum haec sententias exquirendi ratio ad omnia, quae in senatu agenda sunt, pertineat an certis finibus circumscripta sit. iam vero in senatu tabellarum usum satis constat Plini iunioris tempore primum optinuisse, quippe qui ad Messium Maximum epistula III 20 scripserit *meministine te saepe legisse, quantas contentiones excitarit lex tabellaria quantamque ipsi latori vel gloriae vel reprehen-*

sionis attulerit? at nunc in senatu sine ulla dissensione hoc idem ut optimum placuit: omnes comitiorum die tabellas postulaverunt. excesseramus sane manifestis illis apertisque suffragiis licentiam contionum. exponit deinde *a consuetudine parentum* homines descivisse, quorum aetate candidati graviter et paucisde se loqui, senatus gravitate censoria audire soliti sint. qui mores cum praecipites iverint, ad tacita suffragia tanquam ad remedium decursum esse; quod tamen ne inpudentiam excitet veretur. nam *multi* inquit *famam conscientiam pauci verentur. sed nimis cito de futuris. interim beneficio tabellarum habebimus magistratus, qui maxime fieri debuerunt. nam ut in reciperatoriis iudiciis sic nos in his comitiis repente adprehensi sinceri iudices fuimus.* nec sane durasse hunc modum creandi magitratus satis certo testimonio constat, de quo vid. Marquardtus enchiridii II 3, 205 adn. 814. quodsi constaret rhetorem magistratus Plini tempore in senatu per tabellas creatos respexisse, cum Caesari suaderet ut eodem modo de eis, quae tum senatui agere competeret, decerni placeret — nam de magistratu *populi iudicium fieri* bene memor fuit 7, 11 — sane non ante Plinium haec suasoria composita esse posset. id quod tamen cupidius iudicatum esset. nam quid obstat quo minus antiquum iudiciorum morem, quem septimo urbis saeculo legibus tabellariis sanctum esse notum est, quemque etiam in supremis imperatorum iudiciis optinuisse ipsa illa Maecenatis ad Augustum oratio fidem facit, quo minus hunc dico iudiciorum morem a rhetore ad renovati sui senatus agendi modum translatum arbitremur? praeterea et in collegiis sacerdotum in hunc modum cooptationem factam esse fratrum Arvalium actis edocemur, de quibus Marinius p. 19 s. dixit, et in municipiis senatum decurionesve locum sepulturae publicum decrevisse per tabellam titulis quibusdam adscriptis conprobavit Mommsenus de tabulis Salpensana Malacitanaque commentario p. 413 adn. 55. haec igitur qui sciret facile eo progredi poterat ut Caesari similia suaderet, cum praesertim, qui nobilitatis potentiam e senatu expellendam arbitraretur, non posset non meminisse in comitiis quoque *omnem auctoritatem optimatium tabellariam legem abstulisse:* haec enim Quintum dicentem facit Marcus Cicero de legibus III 15, 34.

Iam uti paucis comprehendam, quae de suasoriis dua-

bus hucusque disputavi, cognovimus suasoriam tralaticiam bis tractatam non ita ut fere exspectaveris, alter ut suaserit rem dissuaserit alter, verum ita ut suaserit scriptor binis commentariis, oratione brevi neque admodum docta et epistula prolixiore et varia eruditione referta; utramque autem et dispositione et artificiis rhetoricis inter se simillimas esse; suasorias autem per epistulas scribendi morem, si Quintiliani aetatem respexeris, videri novicium; denique rerum gestarum scientiam in utroque libro non sane contemnendam comparere, eam tamen, quae aetatem eorum a C. Caesaris temporibus intervallo haud mediocri secernat. unde quod breviter principio huius disputationis significavi iam aliquantum stabilivisse mihi videor, exempla haec esse suasoriarum adulescentibus ad imitandum propositarum, tironibus orationem epistulam eis, qui paulo plus profecerint in his studiis. quodsi accesserit summa in utroque libr oaequabilitas sermonis eiusque sermonis, qui a Pliniorum quique eos secuti sint consuetudine prope absit, non dubito quin haec exempla ab eodem homine conposita esse neque altero p. C. saeculo antiquiora haberi posse certioribus quam adhuc factum est argumentis conprobasse visus sim.

III.

Reliquom igitur est ut dicamus de sermone harum suasoriarum. qui cum fere totus pendeat a Sallusti exemplo, nobis, qui de aetate rhetoris quaerimus, non tam ea quae sumpserit ab illo quam quae non sumpserit percensenda sunt. sed primum omnium in hac quoque re rhetoris disciplina agnoscitur, quod in scribendis declinandisve vocabulis eas formas sectatur; quae cum ipsius Sallusti morem antiquo colore superent, ad eorum fere consuetudinem accedant, qui saeculo primo exeunte alteroque incipiente antique scribere sibi proposuerunt: quo pertinent scripta frequenter *ei* diphthongus pro *i* aliaque, e quibus in primis memorabilis est infinitivi forma antiquior *invisier*: de quibus cum dixerim Hermae primo volumine p. 232 s., hoc loco satis habeo supplementi instar addidisse *ei* pro *i* in codice Frontonis in mediis verbis scriptum extare praeter id quod est *Seisenna* etiam in illis *eimaginem* et *seirint*; deinde praeter nostrum infinitivo illo aetate recenti non

solum poetas Gelliumque et Arnobium esse usos, verum etiam, quem a a Nevio II 312 praetermissum video, eundem Frontonem de bello Parthico p. 220 exempli Naberiani posuisse, ubi *portendier* scriptum est. iam Sallusti sermonem qui expilaverunt eorum ex numero — sunt autem plurimi — facile noster omnium fuit doctissimus nec solum de bellis, ut grammaticorum veterum more loquar, verum etiam de excerptis ex historiis orationibus epistulisque deprompsit verba cola sententias. nam quae secunda suasoria 5, 4 leguntur *sed ubi eos* (plebem dicit) *paulatim expulsos agris inertia atque inopia incertas domos habere subegit, coepere alienas opes petere, libertatem suam cum re publica venalem habere: ita paulatim populus, qui dominus erat, cunctis gentibus imperitabat, dilapsus est*, eorum prima pars pendet ex orationis Lepidi illis § 24 *nisi maneat expulsa agris plebes*, alteram potius ex eiusdem orationis verbis § 11 *populus Romanus paulo ante gentium moderator* e. q. s. effictam existimo quam ex Iugurthae 31, 21 quae sunt *vos autem, hoc est populus Romanus, invicti ab hostibus imperatores omnium gentium* e. q. s. rursus quae in eadem suasoria 8, 3 extant *nemo omnium gratuito bonus est* eisdem paene verbis leguntur in oratione Philippi § 9 *haud facile quisquam gratuito bonus est*, a quibus Catilinae illa 16, 3 *gratuito potius malus atque crudelis erat* nimium quantum abhorrent. denique quae in oratione Lepidi leguntur § 25 *quae si vobis pax et composita intelleguntur* a coniectura Aldi, qui *pax et concordia* scripsit, defendi arbitror verbis primae suasoriae 5, 6 quae in libro Vaticano sic scripta sunt *ergo animus ferox prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in civis, movet composita et res novas veteribus aec* (sed *a* in rasura scripta) *conquirit*: pro quibus vereor ne inprudenter obsecutus sim Pomponio Laeto corrigenti *veteribus acquirit.* nam cum fere expectes similia Sallustianis Catilinae 37, 2 quae sunt *vetera odere nova exoptant* — neque vero novarum rerum cupidi apte dicuntur adsciscere novas veteribus, dicuntur pro veteribus novas — vix dubitaverim quin a rhetore scriptum sit *et res novas pro veteribus concupit.* nam pro eo quod nunc est *aec* librarium *uec* scripsisse puto, qui quod praecedit vocabulum iterare inceperit, prorsus eodem peccandi genere, quo paucis verbis ante *consuexata* scripserat, cum

consueta vellet, at properarent oculi ad illud *ta* quod *xa* esse videbatur. sed video illud primitivum pro inchoativo insolentius positum paucis mihi esse a dubitationibus grammaticorum vindicandum esse. *concupere* igitur scriptum invenio in vita Maximinorum 13, 3 et in epistula incerti rhetoris qui Ciceronem ementitur ad Octavianum § 3. neque dubito quin etiam alii posuerint more antiquiorum scriptorum, quos Charisius tertio p. 252 et Priscianus octavo p. 397 et decimo p. 513 complurium verborum primitiva postea obliterata praeter perfectum, quaeque ab eo descendunt tempora usurpasse observarunt. veluti Catullum pro *senescere* inchoativo primitivum *senere* posuisse, *lentere* Lucilium, C. Gracchum *nancire* seu potius *nancere*, quod quidem contra Corssenum symbolarum criticarum p. 37 nuper Schoellium in legis XII tabularum reliquiis p. 88 recte monuisse arbitror. pertinent eodem *pacere* dictum pro *pacisci* et *rescire* pro *resciscere*. et *rescire* quidem dici solitum non tam Gellius II 19 persuadet, quippe eis exemplis usus, quibus tempora a perfecto descendentia continentur, quam quidam alii scriptores veluti Coelius in Tullianis epistulis VIII 10, 4, ubi non video quid opus sit coniectura, Verique imperatoris vitam qui scripsit 4, 11, ubi pro eo quod intellegi nequit *nesciens* putabam me recte dedisse *resciens*: aliter visum Hermanno Petero, cui tamen *non nesciens* scribenti quod adstipulari non possum eo libentius condonabit, quo me frequentius suis inventis passus est plaudere. quodsi recte nostro illud concupiendi vocabulum restitui, hoc quoque inter sermonis paullo negligentioris et fere plebei reliquias numerabimus. sed, ut redeat oratio unde deflexit, Sallusti praeter bella etiam historiarum eclogas a rhetore lectas esse certo constat, ceteras historiarum partes lectas esse demonstrari certe non potest. ac sane peritum in plerisque illius imitatorem sese praestitit. quod multa peccavit non est quod miremur, at meram barbariem qui ei tribuit Theophilus Cortius incaute fecit, veluti cum in orationis 1, 6 verbis illis *ad contra id eniti decet . . uti* barbare dictum esse *eniti contra aliquid* pronuntiavit, cum tamen *contra* sit coniunctio, et *aliquid eniti* dixerit Cicero in epistulis quae familiares dicuntur IX 13, 4 ad Atticum XVI 6, 2. sed singillatim persequi errores Cortii non est in animo. praestat demonstrare rhetorem, ubi Sallusti vestigia reli-

querit optimorum scriptorum lectione imbutum esse, ita tamen, ut quaedam, quae inde ab aetate Pliniorum et Senecae propagata sunt, ut ita dicam, traluceant. optimis igitur auctoribus obsecutus est, cum prima suasoria 7, 4 scripsit haece *quaeque res populos nationesve magnis auctibus auxissent*: in Sallusti eis quae extant similia non inveneris, at sunt sollemnia precationis verba, quae et apud Livium XXIX 27, 3 in precatione Scipionis obvia est ita concepta *eaque vos omnia bene iuvetis, bonis auctibus auxitis* et apud Frontonem qui de feriis Alsiensibus p. 226 Naberiani exempli *quid maiores* inquit *vestri qui remp. et imperium Romanum magnis auctibus auxerunt.* impulit autem illud *auctibus augere* rhetorem ut statim adderet alterum eiusdem generis flosculum *gratiam gratificans* (§ 5), quod quo auctore fecerit nescio, iterandi studio quin fecerit non dubitabit, qui exempla extremo capitulo conposita perlegerit. item optimorum scriptorum more dicta sunt, quae tamen in Sallustianis reliquiis non legimus, epistulae 2, 2 *nihil tam ex alto repeti posse*: nam ita Cicero, ita Vergilius; similiter etiam, ut recentiorem testem producam, Fronto, qui *verbum ex alto eruas* p. 63 et *hoc tam ex alto prooemium* p. 17 apud Naberum; eiusdem epistulae 11, 6 *cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent*, dixerat enim Cicero Sestianae 31, 68 *Ligus additamentum inimicorum meorum*; quare ferendum est, quod noster ibidem 9, 3 paullo insolentius idem vocabulum usurpavit, modo tollatur librariorum error, qui ea verba in hunc modum corruperunt *reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus sicut instituto praeter bonum nomen nihil est additamenti. L. Postumii M. Favonii mihi videntur quasi magnae navis supervacuanea onera esse.* ubi illa *sicut instituto*, quae ego quoque intacta reliqui, frustra Orellius tutatus est adscriptis Graecis ὥσπερ ἰδίῳ ἐπιτηδεύματι ceterisque sic mutatis *praeter bonum nomen nihil est. additamenta* e. q. s.; corrupta esse et Iustus Lipsius senserat, qui *sicut in statua* scribendum coniecit, et Theodorus Marcilius, qui *sicuti statuo.* at statua nihil praeter bonum nomen, nimirum eius cui posita est, habere dici nequit, nisi eadem turpiter facta dicatur, alterum hoc languet, utrumque parum leni manu temptatum est. apparet scribendum esse *sicut in titulo* itaque enarrandam sententiam, ceteros factionis esse homines veteris prosapiae eosque

Bibulis Domitiis Catonibus non gravius quasi pondus addere quam imaginis titulum, qui, si sustuleris nomen splendidum, inanis est. sed revertor unde digressus sum. e Sallustio igitur petitum non est illud I 2, 6 *ex queis magna pars . . . defluxere, pauci restitere:* cave corrigas *diffluxere*, ut Sallustianum efficiatur Iug. 1, 4 *vires tempus ingenium diffluxere.* similiter Cicero Sestianae 32, 69 *unus defluxit.* fluendi autem verbum antiquis temporibus per translationem usurpatum invenimus ita, ut qui dixerit *eorum ego orationes sivi praeterfluere*, Cato, in cuius verbis *sivi* pro *sibi* me olim restituisse nuper oblitus est Detlefsenus ad Plini sui praef. 30, non magis propriam eius vim sensisse putandus sit quam florendi, cum scriberet *mare velis florere videres.* quare si Cicero scripsisset, quod olim exempla edita occupavit, *unde oratio defluxit* pro eo quod est *deflexit*, poëtam agere mihi non videretur. dixit autem Fronto si fides codici Bobiensi *inde enim hic sermo defluxit* p. 59 Nab. illa I 2, 4 *quae dicam de summa re publica* pendent e more sollemni Ciceronis in Cat. I 6, 14 Coelii in epistulis 14, 2 aliorumque. eiusdem libri 2, 3 scriptum est *quoque modo contra adversum consulem beneficia populi Romani retineas*, provincias nimirum, quae ita dicebantur optimo iure ab eo qui memor erat provincias esse *praedia populi Romani.* de quibus verbis Ciceronis in Verrem II 3, 7 legendus Mommsenus commentario quem scripsit de controversia inter Caesarem et senatum acta p. 11. adde perite usurpata tot verba quae ad ius publicum pertinent de quibus supra dictum est. haec igitur etsi fines, quibus aetas horum librorum coartetur, non certos constituant, tamen rhetorem produnt ab exilitate labentium litterarum alienum: at arguunt alia eundem a severitate ea, quam prosae orationi ante Augusti principatum inesse constat, haud paulum distare.

Ac primum quidem in coniunctionibus adverbiis praepositionibus particulis tractandis ita versatus est, ut interdum Sallusti usui insolentiori supra modum addictus interdum ad sui temporis usum foede relapsus sit. cum praepositionem *per* solito frequentius liberiusque ab illo usurpatam videret, inperite ausus est prima suasoria 1, 1 talia *quae per mortaleis avide cupiuntur* et rursus altera 1, 6, postquam dixit sibi quidem praeter ceteras virtutes

Caesaris maxime animum adversis quam secundis rebus maiorem admirabilem esse visum, ita pergit *sed per ceteros mortalis illa res clarior est quod prius defessi sunt homines laudando atque admirando munificentiam tuam quam tu in faciundo quae gloria digna essent*, quae quamquam non solum a Sallusti verum etiam ab omnium usu aliena sunt tamen ex inepta imitatione explicantur. sed gravioris momenti sunt quae scriptor a sui temporis consuetudine repetit. itaque primae suasoriae 1, 3 legitur *ceterum ut fabricata sic virtute parta quam magna industria haberei decet:* abhorret enim a Sallusti usu coniuncta cum positivo adiectivi particula *quam*, ut a Caesaris abhorrere monuit Nipperdeius ad p. 521, 10: at *quam multa* non solum Suetonius aliique ex recentioribus dixerunt verum etiam Coelius in epistula inter Tullianas VIII 15, 2 atque ipse Cicero in Verrem III 88, 206, qui etiam *aliquam multi* eisdem libris IV 25, 56 paulo neglegentius scripsit. insolentius igitur et ex cottidiani puto sermonis consuetudine rhetor *quam magna* posuit. quod praeter eum numquis fecerit ignoro, certe non prorsus geminum est Terentianum illud Andriae 136 *reiecit se in eum flens quam familiariter* a grammaticis adferri solitum: v. Reisigii scholae ab Haasio editae p .402. deinde eadem suasoria 1, 8 quae sunt in Vaticano libro *quod multo multoque asperius est*, in veteribus editionibus interpolata sunt ita *quod multo maius multoque asperius est*, praeter necessitatem, ut recte dixit Gerlachius. at quod idem addit similia esse illi *multo multoque* Plautina *multo tanto carior* et *multo tanto plus*, quae ei suppeditavit Handii Tursellinus III 666, nescio quid sibi voluerit: comparandus est Fronto, in cuius libris legimus apud Naberum p. 24 *multo multoque longior* p. 102 *multo multoque amplius* p. 214 *multo multoque diligentiam magis periculis obnoxiam esse*, denique quod a Schopeno fortasse iniuria in dubitationem vocatum est *alii aliique cohaerentes concursant* p. 12, pro eo quod apud optimos scriptores veluti apud Livium, de quo Madvigius monuit emendationum p. 562, est *alii atque alii.* item *multo multoque* dictum esse a Valerio Maximo IV 1, 2 observavit, qui ex Frontonianis exemplis duo attulit, C. F. W. Müllerus in annalium philologicorum tomo XCIII p. 491. haec igitur

simillima sunt illis *longe longeque*, *nimium nimiumque*, *magis magisque*, *iterum iterumque*, de quibus Bentleius dixit in Horati sermonum I 6, 18: nam quod idem *etiam etiamque* attulit equidem ego ignoro ubi invenerit scriptum. fluxit igitur illud quoque ex sermone volgari videturque ab scriptorum optimorum sermone abfuisse. confidentius idem pronuntiare licet de eis, quae scriptor more suo bis deinceps intulit secunda suasoria 7, 4 *maius aut minus matura* 7, 10 *neque de capite neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus iudicaverit*, certe si fides Handio Tursellini III 570 ante Plinium maiorem, qui *magis aut minus* pro illo *plus minusve* dixerit, neminem sese nosse testanti, nostri sane rhetoris eidem immemori. denique abverbium quod est *multipliciter* eadem suasoria 10, 5 obvium ante Quintlilianum non videtur dictum esse a quoquam.

Deinde pauca alia verba inveniuntur aut prorsus aliena a Sallustio aut aliter atque ab hoc inlata. sed in utriusque generis locutionibus cernitur eadem quae est fere vergentis ad finem primi saeculi libertas sive audaciam dixeris, quae est in translationum finibus relaxandis et ultra severiores, quibus olim continebatur, pedestris sermonis leges promovendis. itaque cum Sallustius *exercere gratiam*, *inimicitias*, *discordias*, *simultates* posuerit, longius progressus est noster prima suasoria 4, 4 dicendo *quoque modo in belli administratione scorta aut convivia exercuerint nonnulli*, quibus non plane congrua sunt, quae conparavit Cortius Plautinae Amphitruonis 288 talia *haec nox scitast exercendo scorto conducto male*, verum similia S. Victoris Caesarum 33, 15 *ludos ac festa triumphorum exercens*. Sallustius cum *coaluisse* dixerit Troianos Aboriginesque Catil. 6, 2 item novos veteresque milites Iug. 87, 3, at proprio significatu *inter saxa coaluisse ilicem* Iug. 90, 4, noster audacius nec perpenso utriusque locutionis discrimine suasoria I 7, 2 *ut concordia* ait *inter veteres et novos coalescat*. cum *palari* Sallustius aliquotiens usurpaverit, *dispalandi* autem verbum eodem quo ille significatu proprio Sisenna tertio teste Nonio p. 101, 5 et Nepos, qui etiam adiecit *in agris*, Lysandri 1, 2, noster compositum translate solus videtur posuisse suasoria II 5, 6 *haec igitur multitudo . . in artis vitasque varias dispalata*, *nullo*

modo inter sē congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capessendam rem publicam. pendet autem sententiae forma a Catilinae prooemio, ubi de primis urbis civibus haec leguntur 6, 2 *hi postquam in una moenia convenere, dispari lingua dissimili genere, alii alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint: ita brevi multitudo dispersa atque vaga concordia civitas facta est,* ut facile mihi persuaserim extremum hoc colon, quod abest a bonis codicibus, ab eo exemplo quo noster usus est, non magis abfuisse quam ab eo quo Augustinus: cf. Hermae I p. 245. *rerum potentes* noster I 1, 5 absolute posuit, uti Seneca de clementia I 5, 6 alii postea, nam Livius aliter XXIII 16, 6 *potentes rerum suarum et urbis;* item noster II 7, 1 imperite *hostem adversum deprimere*: nam aliter idem Livius XXX 36, 6 *nam tam noscendi in praesentia quam deprimendi hostis causa*; neque minus audacter noster II 2, 4 *tela in manus iacere.* deinde ut breviter transigam *alios praegressus* I 1, 2 insolenter per translationem positum, *increpare in aliquem* I 4, 1 contra Sallusti usum, at ita praeter Livium I 51, 1 XXVII, 1, 9 etiam qui declamationem in Sallustium scripsit 8, 7; de multitudine *insiticia* supra dictum est: per translationem ita somnum, quem meridie dormimus, Varro, sermonem Graecum Plinius in epistulis dixit. ad Pompeium dicuntur a Caesare multi discessisse eoque *quasi sacro atque inspoliato fano debitores usi* esse I 2, 7: quod multis nominibus perversum est; voluit dicere rhetor, nisi fallor, non usos esse verum abusos, ita ut continuo ei surripuerint, quae tamen ut in thesauro arcave posita tangere nefas esset. certe *inspoliatum* hoc loco dicitur quod spoliare nefas est, cum de eo, qui non spoliatus est, dixerint Seneca pater et Quintilianus, de eo, quod raptum non est, Vergilius.

Iam si utriusque suasoriae verba verborumque proprietates inter se comparamus similitudinem inter utramque eam intercedere facile intellegimus, quae vix explicari possit, nisi eundem eas scriptorem composuisse sumamus. quod quo clarius cognoscatur similium vel eorundem in eis verborum formularum sententiarum laterculum adscripsi. leguntur igitur

	in oratione:		in epistula:
1, 1	*pro vero antea obtinebat*	12, 7	*mihi pro vero constat*
1, 2	*ut prius defessi sint homines laudando facta tua quam tu laude digna faciundo*	2, 6	*quod prius defessi sunt homines laudando atque admirando munificentiam tuam quam tu in faciundo, quae gloria digna essent*
8, 9	*meditata pectore evolvit*	7, 6	*multa in pectore volvit*
8, 10	*sive hac seu meliore alia via perges*	12, 2	*si hoc itinere uti decreveris*
3, 2	*equidem ego*	6, 2. 10, 4 cf. 2, 1	*equidem ego*
1, 1	*quae per mortaleis cupiuntur*	1, 6	*per ceteros mortales illa res clarior est quod*
7, 2	*uti plebs largitionibus et publico frumento corrupta habeat negotia sua*	5, 8	*plebs bonis negotiis impedita malum publicum facere desinet*

adde quod etiam in verborum collocatione similiter peccatum est in oratione 2, 5 *occupandae rei publicae in spem* et in epistula 3, 7 *quorum unquam in victoria*; denique quod in utraque, si qua semel posita sunt vocabula paulo rariora, mox iterantur: ita orationis scriptori vocabulum quod est *attingere* ita placuit ut ter inferret 4, 4. 7, 1. 7, 5 *formeido* et *formeidatur* ut iteraret 1, 4. 3, 2 *auctibus augere* 7, 4 ut adderet, de quo supra dixi, *gratiam gratificari* §. 5; epistulae scriptori *periculum facere* ut bis 1, 4. 4, 3 *opulens* et *opulentia* ut ter 5, 8. 7, 5. 7, 6 *magis aut minus* ut bis 7, 4. 7, 10 item *additamentum* 9, 4. 11, 6 item *ubi dempseris* 7, 7. 8, 3 cf. 8, 5 item *supervacuaneus* 9, 4. 10, 6, quodsi memineris, quae extremo capite altero de similitudine harum suasoriarum, quae contineatur maxime dispositione, diximus, iam non temere sermonis quoque proprietate confirmare nobis videmur eundem utramque rhetorem conposuisse. sed quo ille tempore scripserit, ne hariolemur, longius coniectando pro-

gredi, quam supra fecimus, non audemus. nimirum vix posse Flaviorum aevo superiorem haberi satis confidenter pronuntiamus, cur inferiorem Antoninis putemus non habemus: tamen huic opinioni siqui nobis peritiores firmiora fundamenta substruxerint non gravabimur.

Berolini apud Weidmannos (I. Reimer).
Berolini, typis fratrum Vngerorum (Th. Grimm et F. Maass).